



V Vernherus ex bona familia apud Suitenses Heluetiæ pagum natus fuit. Itaq; cum multis uirtutibus esset præditus, apud suos in magna auctoritate & existimatione exitit. Cum autem eo tempore Vranienses, Suitenses, & Vnderualdenses Fridericum Austriacum repudiarent, atq; Ludouicum Cæsarem, qui pluribus suffragiis electus erat, reciperent, à Friderici præfectis & finitima nobilitate uarijs modis afflicti fuerunt. Illi enim partes Austriacas fouebant, atq; à Friderico subsidia semper accipiebant. Itaq; præfecti illi suam tyrannidẽ mirum in modum passim exercuerunt, ut eius loci incolas ad Friderici obedientiam perducerent,

aut omnino Imperio abstractos Austriacis subijcerent. Erat tum Geslerus Imperij nomine Vranix & Suitix præfectus, qui liberos homines mirum in modum exagitauit, id quod prius in Vuilhelmo Tello declaratum fuit.